



**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. X. Vtrùm infideles possint habere dominium in fideles, eóue per
Ecclesiam priuari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

tus loquendo non est alius modus, quo possint omnino conuerti, & in vera fide stabiliri. Imò tales hoc ipso quo dicta intentione veritatem inquirunt, iam desinunt esse verè heretici, vt patet ex D. Augustino citato n. 76.

143 Ex quibus patet duplex esse genus hominum, quo cum nobis possit esse de fide disputatio. Primò eorum, qui de fide dubitantes veritatem inquirunt, aut saltem ex ignorantia errant, & parati sunt credere, si veritas ijs sufficienter probetur, ita vt nequeant de ea ulterius sine pertinacia dubitare. & tunc cum his omnino disputandum esse ijs qui ad hoc idonei sunt, docet D. Gregor. citat. n. 139. Secundò, eorum qui in suo sunt errore pertinaces, & ex malitia errant, & cum his non esse disputandum docent Apostolus, & Patres citati nu. 136. quia id nullo fructu fieret. Excipe tamen casum, quò id esset necessarium vt ab ijs decepti ab errore reuocarentur, aut vt alij quos inceperunt pervertere, in fide continerentur.

144 In qua disputatione hoc obseruandum est, vt ipsi quantum fieri potest, cogantur respondere in forma & directe ad quaestiones propositas, nec permittantur aliò diuagari, donec interrogationi proposita sit satisfactum; ad quod vtilissimum esset, si deligeretur aliquis æquus iudex, qui eos ad hoc cogeret. Item instantes virgeantur argumentis allatis disp. 12. dub. 5. alij tunc similibus, vt fateantur non posse causam fidei inter hereticos & Catholicos sufficienter decidi, nisi admittatur à Christo statutus aliquis iudex, qui infallibiliter & clarè sententiam proferat. Quòd si aliquem alium admittat præter Scripturam sacram, clarum est hanc non posse esse alium quàm Ecclesiam, præsertim in generali Concilio congregatam; & sic vicinus: si autem obtinere negat alium iudicem præter Scripturam & internum spiritum à Christo nobis in hac causa datum esse; tunc primò populari modo dicta argumenta sunt virgenda. Deinde virgendi vt aliquem locum controuersum ex sacra Scriptura ita probet, vt clarè videamus Scripturam dicere id quod ipsi volunt. Ad quod nõ sufficit aliqua loca apparentia adferre, sed virgendi sunt vt ostendant hunc esse illorum locorum sensum. quod numquam vlla ratione facient. V. c. dicunt nos nihil debere credere quod non sit expressum in Scriptura sacra. iubeantur hoc probare. adferent quidem aliqua loca quibus probent nos nihil debere addere sacrae Scripturae, vel potius nihil esse addendum certis quibusdam ipsius libris, v. c. Apocalypsi: vt ibidem dicitur c. vltimo in fine; aut quibus Iudæi prohibentur in suis sacrificijs adhibere alios ritus, præter illos quos Deus per Moysen illis prescripsit, aliaque similia, sed nullibi ostendent esse prohibitum ne quid credamus præter ea, quæ in sacra Scriptura habentur; sed solum ne credamus contraria ijs quæ Apostoli nos docuerunt: hæc autem omnia esse in Scripturis comprehensa, nullibi habetur.

145 Nota demum c. Quicumque, §. Inhibemus quod, de hæreticis, in 6. sub pena excommunicationis ferenda, prohiberi omnibus laicis (quales sunt omnes iij, qui non gaudent priuilegio

clericis; imò etiam Religiosi qui non ad studia, sed ad opera domestica destinantur) ne cum hereticis de fide disputent. Quamuis autem hæc lex lata sit, quia laici communiter indocti sunt, & ad eiusmodi disputationes inidonei; tamen obligat etiam doctos, nam etiam in his videatur cessare ratio legis, tamen verè non omnino cessat: nam si doctis permitteretur hæc disputatio, quibus putaret se satis doctum esse, atque ita non vitaretur periculum ne minùs idonei cum hereticis disputaret, & lex redderetur inutilis; ideoque id vniuersaliter omnibus prohibet.

Caietan. autem 2. 2. q. 10. a. 7. & alij cum eo limitant hanc legem, vt intelligatur solum de disputatione quam vocat formalem, quando scilicet agitur seriò, ad conuincendos eos qui in fide errant. Non autè de disputatione solum materiali, qua aliqui solius exercitii causa, vt sit in scholis, de fide disputant, sicut disputarent de quauis re alia ipsis clarissima.

Secundò, Valentia 2. 2. disp. 1. q. 10. p. 4. & c. & alij, eandem limitat, vt non habeat locum in casu necessitatis, aut notabilis & euidentis vtilitatis, vt quando aliquis hereticus coram alijs multa contra fidem diceret, cum periculo ne alij perverterentur, aut in hæresi confirmarentur, & Catholicos tamquam non potentes contradicere, despicerent, & absentibus clericis ad id idoneis, adesset laicus qui commodè posset eundem clarè refellere, & fidem confirmare: tunc enim ille iure naturæ tenetur honorem Dei ac fidei defendere, aliosque à periculo eripere: quare nulla ratione est mens illius legis cum ab hoc prohibere.

Addunt idem, quia in locis vbi heretici mistim cum Catholicis habitant, crebroque inter se versantur, eiusmodi casus sæpius accidunt, in his eam legem contrariò vtu sublatam esset: nam videmus Prælatos non contradicentibus eiusmodi disputationes passim ab ijs qui idonei sunt suscipi; & hoc propter occurrentes necessarias occasiones commodè impediri non potest. Nihilominus tamen iure naturæ tenentur ab ea abstinere qui ad eam inidonei sunt; aut etiam vbi vident eam cum fructu non posse à se hic & nunc suscipi.

D V B I U M X.

Utrum infideles possint habere dominium in fideles, eohe per Ecclesiam priuari?

Nota Primò, dominium hominis in hominem esse duplex, scilicet despoticum, quale habet dominus in suamancipia; & politicum, quale habet rex in omnes suos subditos: & de vtroque hic est quaestio.

Nota Secundò, satis inter omnes constare, infideles non esse iure naturæ incapaces dominii in fideles: nulla enim vel probabili ratione illud asseri posset. sed quaestio est vtrum iure humano, eo priuari sint, aut priuari possint.

Nota Tertiò, infideles alios esse baptizatos, quales sunt heretici & apostatae, de quibus agemus dub. 14. conclus. 1. alios non baptizatos, subiectos tamen principibus Christianis; alios demum

Prohibentur laici etiam docti cum hereticis de fide disputare.

146 Caietan.

147 Valentia.

In necessitate laicos licet de fide disputat.

148

149

Dominium aliud despoticum, aliud politicum.

Infideles triplicis generis.

demum nec baptizatos, nec principibus Christianis subiectos. Et de his est præcipua difficultas, utrum Ecclesia possit eos priuare dominio siue politico, siue despotico, quod habent in fideles.

150
Lorca.
Bañez.

1. Cor. 6.

Matth. 17.

Lorca 2. 2. q. 10. a. 10. & Bañez ibid. sub finem §. *Quarta concl.* & quidam alij, docēt, Ecclesiam absolute posse eiusmodi infideles spoliare dominio, quod habet in fideles, etsi id ad vitanda scandala de facto non faciat. Probatur Primò, quia 1. ad Corinth. 6. v. 1. Apostolus reprehendit fideles quod vocent alios fideles in iudicium apud iudices infideles: ergo Apostolus priuat hos iudices iurisdictione, quam habebant in eos fideles. Secundò, quia periculosum & indecens est fidelē seruire infideli: ergo Ecclesia nomine Dei potest hunc illius dominio priuare, quia hoc expedit tum saluti fidelis, tum honori ipsius fidei: sicut princeps potest ob bonū publicum subditū aliquem priuare suis bonis. Confirmatur, quia iure Ecclesiastico fidelis coniux potest deferere infidelem nolentem conuerti: ergo multò magis poterit seruus eodem iure deferere dominum infidelem, si Ecclesia hoc statuatur. Tertio, quia Matth. 17. filij sunt liberi à tributo: ergo cum omnes fideles sint filij Dei, aut de facto sunt liberi à subiectione infidelium, aut saltem possunt ab ea per Ecclesiam liberari, quatenus hoc expedit ut in sua adoptione siue in sua fide perseuerent. Confirmatur, quia Christiani in Scriptura dicuntur liberi: ergo non sunt serui infidelium. Quarto, quia infideles suis peccatis merentur priuari vita: ergo multò magis merentur priuari suo dominio in fideles.

151

Sed hæc nulla ratione probant intentum. Ad primum, respondeo si quidquam probaret, etiam probaret omnes fideles à tempore Apostolorum à iurisdictione magistratum infidelium fuisse exemptos: quod apertissime falsum est. Reprehendit igitur Apostolus ibidem Corinthios, quod indecore contra quam fraternam caritas exigebat, alter alterum in ius vocaret, idque coram infidelibus, qui hac ratione poterat scandalizari videntes Christianos ita inter se contendere, & alterum alteri iniuriam facere. Docetque eos potius debere pati iniuriam, quam hoc facere. Ex quo nullo modo sequitur id quod inferitur.

152

Ad secundum, respondeo Primò, nego antecedens, intelligendo illud generatim & per se, ac de periculo graui. Nam quando dominus permittit seruo liberè viuere secundum religionem Christianam, nullum huic ex eo seruitio tantum momenti imminet periculum, ut propterea dominus possit se sua priuari: cum seruus si bonæ voluntatis sit, per Dei gratiam facile possit omne eiusmodi periculum, si quod ipsi ex ea subiectione imminet, superare. Confirm. quia quando seruus habitat apud dominum fidelem quidem, cuius tamen tota familia est peruersis moribus, maius salutis periculum ei hinc imminet, quam si habitaret apud dominum infidelē, qui aliàs esset moribus probis; & tamen illo casu non licet ei fugere, si dominus non conetur eum iniuriōse aut magna importunitate ad peccatum pertrahere: ergo nec in hoc. Quod

autem spectat ad indecentiam, seruum Christianum seruire domino infideli non magis est contra dignitatem fidei, quam sit contra dignitatem virtutis & filiorum Dei, seruum iustum & filium Dei seruire domino infideli, nequam & mancipio diaboli: sed utrumque Christianæ humilitati est consonum.

Respondeo Secundò, nego consequentiam: nam vel illud periculum, illaq; indecentia sunt tanti momenti, ut sufficiant ut seruus possit sua auctoritate à domino suo fugere, sicut id potest quando dominus eum iniuriōse conatur ad peccatum pertrahere: & tunc auctoritate Ecclesiæ opus non est. vel non sunt tanti momenti, ut ad illud sufficiant, & tunc nec etiā sufficiunt ut Ecclesia propterea possit dominum suo mancipio priuare, quia hanc potestatem nec habet iure naturæ aut gentium, cum ille Ecclesiæ non sit subiectus; nec etiam diuino: nullo enim indicio probari potest Ecclesiæ eiusmodi potestatem à Deo esse collatam. nam siue spectemus Scripturas, siue Concilia ac canones, nihil in his reperiemus, quo vel probabiliter insinuent Christianos subditos infidelibus dominis (saltem quādo hi non sunt vicissim subiecti principibus Christianis) aut debere aut posse per Ecclesiam ab eiusmodi subiectione liberari. Sed contra tam Scriptura, quam canones sæpius innunt nullam eiusmodi potestatem in Ecclesia esse; dum ita subiectis grauitè præcipiunt, ut suis dominis diligenter obediant, idque non solum ita ut ad oculum seruiant, timore pænæ aut scandalij: sed quia in conscientia ad hoc verè obligantur.

Quod autem ad fertur exemplum principis politici, qui exigente id bono publico potest aliquem sibi subditum priuare suis bonis: solum probat Ecclesiam ac Christianos principes posse infideles sibi subiectos spoliare suis mancipijs Christianis, quia hoc ad honorem fidei expedit. quod etiam de facto faciunt. Et contra, sicut respublica politica nullo modo potest aliquem sibi non subditum, nec membrum suum, spoliare suis bonis, quantumuis id publico bono valde expediat: ita nec Ecclesia potest vilo modo suis bonis spoliare eos, qui nec ipsi sunt membra Ecclesiæ, nec ei vilo modo subiecti, quantumuis illud ad bonum spirituale Christianorum sit conueniens. vnde tam illud exemplū reip. politicæ, quam ei consona Ecclesiæ consuetudo pro nobis faciunt. Ad confirmationē, nego antecedens: quod enim coniux conuersus possit deferere infidelem pertinacem in sua infidelitate, concessum est iure diuino, nullo autem modo Ecclesiastico, quod circa dissolutionem matrimonij consummati nihil omnino potest, ut ex 1. ad Cor. 7. ostendi tom. 2. de Sacramentis disp. 26. dub. 5. n. 58. & 66.

Ad tertium, respondeo Primò, si illud quidquam probaret, probaret omnes Christianos de facto esse liberos ab omni subiectione ac tributo præstandis, non solum principibus infidelibus, sed etiam Christianis, quia regum filij nulli tributum præstant. Quare ex illo loco solum probatur, Christum filium Dei naturalem, atque aded totius mundi & ipsorum etiam regum al-

tiore

tiore quadam ratione dominum, nō fuisse olim obligatum præstare ijs vllum tributum.

Christiani
fideliter
non a subie-
ctione, sed a
peccato.
1. Pet. 2.

Ad quartum, concedo totum; sed inde non sequitur, eos his posse priuari per Ecclesiam, aut etiā per principes Christianos, quia ipsi nec his, nec Ecclesiæ vllō modo sunt subiecti: nemo autem quantumvis id meritis potest bonorum priuatione puniri, nisi à Superiore suo.

156
Malders.

Secundò, Malder. 2.2. quæst. 10. art. 10. conclus. 3. & 4. docet, eiusmodi infideles per Ecclesiam posse spoliari suis mancipijs, alijsque subditis Christianis, quando his ex illa subiectione periculum peruersionis imminet (loquitur autem etiam in casu quo illud periculum non oritur ex iniuria ipsius domini infidelis) secus autem ait esse quando tale periculum ijs non imminet. Additque, quia communiter tale periculum ijs de facto verè imminet, ac saltem merito in posterum timeri potest, Ecclesiam eos communiter posse à dominorum subiectione liberare; quia ad eam spectat prospicere suis subditis de medijs ad salutem necessarijs, & contraria pericula ab ijs amouere. Sed ad hoc iam respondi numer. 153. & 154. vbi ostendi Ecclesiam dicta non posse facere cum iniuria alterius. Vt autem hæc clariùs possint resolui, ponam primò aliquot conclusiones quas Catholici omnes admittunt, & deinde quæ controuersæ sunt resoluam.

157

D. Thom.
Matth. 22.
Rom. 13.

CONCLUSIO I. Infideles non subditi Christianis dominium iurisdictionis in Christianos iam acquisitum licitè retinent. Est communis Doctorum cum D. Thoma 2.2. quæst. 10. a. 10. Patet, quia Christus Matth. 22. iubet reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & Apostolus ad Rom. 13. dicit principum infidelium (qui tunc regnabant) potestatem esse à Deo, & qui eis resistit, resistere Deo; & fideles necessariò ijs parere, non tantum propter iram, siue ob metum pænæ, sed etiam propter conscientiam, siue quia in conscientia, & coram Deo ad hoc obligantur. quæ vera non essent si illi non fuissent veri Superiores istorum Christianorum.

158

e. Cum sit
nimis.

CONCLUSIO II. Infideles ob Ecclesiæ prohibitionem non possunt inter Christianos publicis officijs præfici, nec principes Christiani possunt ijs conferre iurisdictionem in Christianos sibi subiectos. Hæc etiam est communis Doctorum, cum D. Thoma supra. Habetur expressè capit. *Cum sit nimis*, de Iudæis & Sacerdotibus. vbi Innocentius III. præcipit eos per Concilium prouinciale grauiter argui qui Iudæos aut Paganos publicis officijs præfecerint: & Christianos omnes abstinere à communione illius infidelis, donec illud officium dimiserit, & per illud acquisita in pauperes Christianos distribuerit. Ratio est, quia hoc cedit in iniuriam & contemptum fidei, & est subditis periculosum. Quia, etsi infideles in suis terris fidelibus ad fidem conuersis, sicut etiam alijs eorum ciuibz infidelibus præ-

Coninck de act. supernat.

esse non cedat in iniuriam aut contemptum fidei aut fidelium; secus tamen est, si hoc fiat inter Christianos: quia cum hoc casu illi Christianorum iudicio & opera Christianis præficiantur, tacitè indicatur inter Christianos non reperiri aptos ad illa officia administranda, aut saltem non tam aptos quàm sunt infideles. Sic externos in aliena patria subesse indigenis non est his ignominiosum aut durum: secus est si externis alicubi publica magistratum officia committantur: hoc enim indigenis durum & aliquo modo ignominiosum communiter reputatur.

CONCLUSIO III. Infideles Christianis non subiecti possunt præesse Christianis, & habere mancipia Christiana: nec hæc possunt ab ijs fugere, si aliàs iustè à dominis possideantur. Ita etiam D. Thomas supra, & alij communiter.

159

Probatur ex 1. Petri 2. v. 18. vbi serui iubentur parere dominis, etiam dyscolis ac Gentilibus, vt patet ex versu 13. vbi iubet Christianos subesse omni humanæ creaturæ, regibus, ducibus, &c. qui tunc erant Gentiles: & subdit, vt serui etiam pareant dominis. Probatur Secundo, ex capit. *Si quis seruum*, 17. quæst. 4. quod desumptum est ex Concilio Gangrensi, vbi iubetur grauissimè argui, qui suaserit seruo fugam sub prætextu religionis; & ei dicitur anathema.

D. Thomas.

1. Pet. 2.

e. Si quis
seruum.

CONCLUSIO IV. Ecclesia non potest tales priuare suo dominio, quod habent in mancipia Christiana, aut alios fideles, quamdiu nec seruis ob fidem molesti sunt, nec in Christianos iniuri. Ita Durand. in 2. d. 44. quæst. 3. artic. 2. Turrian. 2.2. disp. 52. dub. 1. Sorus in 4. disp. 5. q. 1. a. 10. & alij. Probatur, quia Ecclesia nec iure naturæ habet hanc potestatem, nec à Deo hæc vllibi ei legitur concessa: quare numquam tali potestate vta est, imò, vt patet ex dictis conclus. 3. semper definiuit subiectos dominis infidelibus teneri ijs obedire, nec posse ab ijs fugere, si mancipia sint. Confirmatur, quia, vt supra ostendi, contraria sententia nullo fundamento nititur. Nec his obstat Bulla Alexandri VI. qua regibus Castellæ subiecit Indos Occidentales, quia per eam non transiit horum regna aut dominia in Castellanos, sed his solum dedit ius prædicatores fidei in ea regna mittendi, aut etiam aliqua ex ijs sibi acquirendi, modò id aliàs licitè fieret. vt cum alijs docet Bellarm. lib. 5. de Pontific. cap. 2. Vnde, vt refert Bañez 2.2. quæst. 10. art. 10. dub. 4. conclus. 5. ad 3. obiect. Paulus III. in quadam Bulla definiuit Indos infideles esse veros dominos suarum rerum, nec posse ijs spoliari, scilicet nisi per iniuriam darent iustam causam ob quam spoliarentur.

160

Durand.
Turrian.
Sorus.

Bellarmino.
Bañez.

Dixi, *quamdiu nec seruis sunt molesti ob fidem*, &c. quia hi aliàs possent fugere: nam in hoc iniuriā paterentur; & sic etiam licitè fugerent à dominis Christianis, si vellēt eos ad peccatum pertrahere. Item si ij infideles essent iniuri in Christianos, tunc per modū compensationis possent Christiani ab ijs fugere; & sic Turcarum mancipia licitè fugiunt, & posset Ecclesia ijs fugam si commodè fieri posset, præcipere.

161

Turcica
mancipia
Christiana
licitè fugiunt.

Gg

CON-

162

I. Hac valitura.

I. Deo nobis.

e. Nulli Iudæo.

CONCLUSIO V. Ecclesia, ac principes Christiani licet statuerunt ne vllus infidelis Christianis subiectus habeat seruum seu mancipium Christianum. Est communis. Pater ex I. *Hac valitura*, C. de Iudæis & Cælicolis: vbi Iudæi priuantur iurisdictione in Christianos, & prohibentur vlla ratione ad similem iurisdictionem admitti. & I. *Deo nobis*, C. de Episcopis & clericis, statuitur, vt, si quis Iudæus, Paganus, vel hæreticus habeat seruum Christianum, hic fiat statim liber. & cap. *Nulli Iudæo*, de Iudæis & Saracenis, statuitur, vt, si quis Iudæus vel Saracenus seruum emerit infidelis mercaturæ causa, qui postea vult baptizari, nisi intra tres menses venalem exponat, hic fiat sine pretio liber; & similiter, qui seruij causa emptus, aut vernacula est.

Ratio legis est, quia hoc expedit dignitati & promotioni fidei Catholice: sicut autem principes ob vtilitatem reipublicæ possunt aliquando subditos suis rebus priuare, & dominia ab inuitis transferre, (vt patet in tributis, & præscriptione) ita idem possunt ob vtilitatem fidei.

163

e. Et si Iudæos.

Huc accedit, quod hæc subiectio sæpè est coniuncta cum periculo peruersionis serui, aut cum iniuria fidei, vt patet ex cap. *Et si Iudæos*, de Iudæis & Saracenis: vbi ideo præcipitur ne Christiani Iudæis famulentur, aut suos filios laudandos dent.

Nota, Iudæos hoc capite non dici vera mancipia Christianorum, vt aliqui putant, quia alijs eorum bona licet à Christianis caperentur, quia bona serui sunt domini: quod tamen cap. *Sicut Iudæi*, eodem titulo, sub pena excommunicationis vetatur. Dicuntur igitur ibi serui Christianorum, quia vbique alienis principibus, tamquam subditi seruiunt.

e. Sicut Iudæi. Qua ratione Iudæi dicuntur serui Christianorum.

D V B I V M X I

Utrum liceat cum infidelibus communicare, aut eorum libros legere?

164

NOta Primò, hæc communicationem posse videri illicitam, ex duplici capite. Primò, iure naturæ; Secundò, iure Ecclesiastico.

Nota Secundò, nos triplicem cum infidelibus posse habere communicationem. Primò, in sacris. Et quidem iure naturæ & diuino est nobis illicitum propriè cum ijs in sacris communicare, ita scilicet vt ipsorum sacrificiorum, aliorumque rituum simus aliquo modo participes: nam hoc esset saltem, quoad actum externum, falsum cultum siue religionem profiteri. Ex iusta tamen causa licet quandoque eorum sacris possumus ita interesse, vt nulla ratione cum ijs participemus siue communicemus in sacris. vide dicta disp. 15. dub. 3. conclus. 2. §. 6.

Similiter infidelibus non debet permitti vt nostris sacris, & præsertim sacrificio intersint, quia hoc minùs decet; ideoque in Ecclesia institutum est officium sanctorum vt eos excludat. Excipe tamen casum, quo ex eorum admisione speraretur fructus, siue eorum conuersio: tunc enim admitti possent, nisi nominatim essent ex-

Communicare cum infidelibus in sacris est iure naturali illicitum.

An infideles possint nostris sacris interesse.

communicati; hi enim nullo modo permittendi sunt nostris sacris ita interesse, vt cum ijs videamur communicare. vide quæ dixi tom. 2. de Sacram. disp. 14. dub. 7.

Secunda communicatio posset esse in matrimonijs. Et hæc cum infidelibus baptizatis valide quidem contrahuntur, communiter tamen illicitè ob grauiam incommoda, quæ ex ijs nata sunt sequi. cum non baptizatis etiam inualide contrahuntur. Quæ fusiùs ostendit tom. 2. de Sacram. disp. 31. dub. 3.

Tertia potest esse in rebus ciuilibus. Et in his iure Ecclesiastico nobis est generatim prohibita omnis communicatio cum ijs solis qui sunt nominatim excommunicati, nisi sit aliqua necessitas, aut magna vtilitas: de quibus sufficienter egi tom. 2. de Sacram. disp. 14. dub. 2. & sequentibus; & dubio 12. ostendi quibus casibus liceat cum ijs communicare; & dubio 14. quale peccatum sit in casibus prohibitis cum ijs communicare.

Præterea multi Auctores docent iure Ecclesiastico Christianis specialiter prohibitum esse familiaritatem habere cum Iudæis. probant ex c. *Iudæi*, §. 8. & cap. *Ad hæc*, §. 8. & cap. finali, de Iudæis & Saracenis. Indeque inferunt decem casus in quibus prohibitum sit Christianis cum Iudæis communicare. Aiunt igitur prohibitum nobis esse Primò, cum ijs habitare; Secundò, eorum azyimis vesci, et si separatim ab ijs siue domitui ijs vescaris; Tertio, ijs medicis vri; Quarto, ab ijs medicinas accipere: multi tamen excipiunt casum necessitatis, vt si alii medici defuerint, aut non sunt tam periti, & morbus est periculosus. Item aiunt hæc intelligenda esse, ita vt non liceat à Iudæis ita accipere medicinas vt ipsas applicent; licet tamen eadem ab ijs emere, aut gratis donatas accipere, modò ab ijs nobis immediatè non applicentur. Alij tamen etiam volunt hoc prohiberi. Quintò, simul cum ijs lauari in balneo; Sextò, eos ad conuiuia invitare, aut eorū conuiuia accedere; Septimò, Christianas obstrictas aut nutrices eorum liberos in ipsorum domibus nutrire; Octauò, ijs famulari; Nonò, ijs seruitutis vinculo subiici; Decimò, illis prohibetur publicis officiis inter Christianos fungi, De his autem duobus vltimis casibus satis dictum est dub. 10.

Circa explicationem autem horum casuum variæ sunt sententiæ, dum alij latius, alij strictius eos interpretantur, vt videre est apud Siluestrum, Armillam, Angelum, Tabienam, Rosellam v. *Iudæos*. Azor tomo 1. Moral. l. 8. cap. 22. Sanchez lib. 2. de Præcept. cap. 31. & alios. Quæ hic speciatim disputare omitto: nam maxima ex parte debili, aut etiam nullo nituntur fundamento, vt mox ostendam.

In primis igitur quod dicunt cap. *Ad hæc*, & c. finali, de Iudæis, prohiberi nobis habere cum ijs familiaritatem, ita generatim dictum verum non est. Nam ibi solum prohibetur illa familiaritas, quæ continet Christiani seruitutem, aut diuturnam in famulatu subiectionem. Quæ iustissime prohibentur, cum quia hæc subiectio est indigna Christiano in terris Christianorum: tum etiā quia, cum omnis subiectio ingeneret subiecti animo quan-

165
Quæ ratio
illicitum sit
cum infide-
libus com-
municare in
matrimonio
rebus ciuili-
bus.

e. Iudæi
& Saraceni.

166

Siluester.
Armilla.
Angelus.
Tabiena.
Rosella.
Azor.
Sanchez.

167
e. Ad hæc.

Christiani
prohibentur
cum Iudæis
familiaritas
quæ eos his
subiecti aut
periculosa
est.